

DE ECCLESIAE UNITATE

"Ut omnes unum sint"

- ✓ 1) pagina 251, linea 30: Pro verbis "Ierusalem nova" (Apoc. 3, 12) suadentur "Ierusalem caelestis" (Hebr. 12, 22), quorum sensus ecclesialis melius constare videtur.-
- ✓ 2) p. 251, l. 31 et 252, l. 1: Iisdem rationibus pro "Sponsa Agni" suadetur "Sponsa Christi" (cf. Ef. 5, 24, 25).-
- ✓ 3) p. 252, l. 28: Pro referentia ad Apoc. 21, 6, proponitur alia ad eundem librum 7, 17, quia huius loci litteralis sensus melius respondit doctrinae expositae quam primi.-
- ✓ 4) p. 252, l. 29: Eadem ratione pro textu Apoc. 19, 6, ad regalem dignitatem Christi ostendam allato, proponitur referentia ad verba Ioann. 18, 37: "quia rex sum ego".-
- ✓ 5) p. 252, l. 32: Post verbum "Ecclesiae" addenda proponuntur "his in terris". Sic doctrina clarius exprimitur circa cessationem in gloria exercitii potestatis hierarchicae (cf. Card. Caietanus, In I-II, 33, 4^o, n. 2) sive quoad iurisdictionem (ibid), sive quoad ordinem (S. Thomas, III, 61, 4, ad 1; 63, 1, ad 1).-
- ✓ 6) p. 253, l. 15: Demantur verba "et schismata", quae procul dubio laedent sensus fratrum orientalium, quorum vero sensus satis verbo "divisiones" exprimitur.-
- ✓ 7) p. 253, l. 26: Post verba "sua successore" addendum est "et ab Episcopis in eius communione gubernatur". Secus potestas iuris divini ac propria Episcoporum obnubilatur ansaque tribuitur opinioni apud nonnullos separatos fratres vigenti quod in Ecclesia catholica nulla est vera potestas nisi solius Romani Pontificis. Haec doctrina iam in Sess. IV Concilii Vaticani I exposita (Denz. 1828) clarius adhuc a Leone XIII evolvitur in Encyclica "Satis cognitum" (ASS, vol 26, p. 708 ss, sp. sub n^o 52).-
- ✓ 8) p. 253, l. 33: Post verbum "christianorum" addendum est "esset" claritatis causa.-
- ✓ 9) p. 254, l. 9: Post verba "non esse" addendum est "ideoque salutem certo consequi posse". Additio proposita non est nisi consequentia affirmationis in schemate contentae de analogica incorporatione quorundam fratrum separatorum, in bona fide scilicet versantium, verae Ecclesiae si salus est intra Ecclesiam, qui ad eam pertinent salutem consequi possunt cum fiedem principium "Extra Ecclesiam non est salus" applicari nequeat. Textus propositus inveniebatur in Schemate Commissionis "De Ecclesiae unitate", pro orientalibus, p. 9, l. 7 et 8. Declaratio vel additio quae postulatur gratissima insuper erit separatis fratribus quod non spernendum videtur ut elementum preparatorium desideratae unitatis.-
- ✓ 10) p. 254, l. 30: N^o 11 dematur ex integro. Propria etenim extollentia Catholicae Ecclesiae parum vel nihil prodest unitatis causae imo secus. Ad mentem Summi Pontificis fel. regnantis pluris est ad praesentia attendere quam ad historicas vicissitudines sese convertere in quibus non omnia est utraque parte felicitis recordationis digna sunt.-

- ✓ 11) p. 256, l. 3: Pro verbo "desudabunt" ponendum "desudabunt", grammaticali-
bus de causis.-
- ✓ 12) p. 256, l. 25: Post verbum "fuerunt", addendum est "et sunt", ne Concilium
videatur ignorare vel parvipendere actualen pietatem varialem fratrum o-
rientalium separatorum.-
- ✓ 13) p. 259, l. 20: Oportet citationem Pauli V finire post verbum "fuisse", ut
vitetur periculum propriae extollentiae nec non historicas criminationes
semper hac in re possibiles.-
- ✓ 14) p. 259, l. 30: Oratio finiatur verbo "retinuit", commissis ergo ab "excep-
tis" usque ad "obstant". Etenim actualis sensus, sine scilicet emendatione
proposita, supponit in Ss. Patrum institutionibus et in ecclesiastica o-
rientalium disciplina, aliquid inveniri "derogans honestati", quod sane
ut iniuriosum Ss. Patribus interpretabitur. Nec satis apparet cur res in
genere morum tam perspicua, durius iterum exprimatur.-
- ✓ 15) p. 263, l. 24: Post verbum "Ecclesia" suadetur omissio "Christi", ne fra-
tres separati hic offensionis occasionem inveniant.-
- ✓ 14) p. 264, l. 4: Pro verba "qui patriarchali condecorantur titulo" ponatur
"qui patriarchali fruuntur potestate". Patriarchalis dignitas in Ecclesia
non est quid vere honorificum, praelatorum familiae pontificiae instar,
sed gradus iurisdictionis ecclesiasticae ut etiam in Codice novissimo pro
orientalibus agnoscitur. Vitandum ergo omnino est quidquid Patriarcharum
potestatem minuit vel etiam extenuare videtur.-
- ✓ 15) p. 264, l. 30: Pro verbo "magis" ponatur "plene". Secus decretum interpre-
tabitur ac si theologia latina superior existimetur et tantum pro unitatis
amore Ecclesia parata sit, aegre tamen, concessiones aliquas orientalibus
faciendi.-
- ✓ 16) p. 266, l. 4: Pro verbis a "si qui" usque ad "seligantur", sequentia propon-
untur: "si Summi Pontificis adiutores pro universali Ecclesiae regimini
tum in Congregationibus, Commissionibus, Officiis ac Tribunalibus Romanae
Curiae, cum qui Apostolicas Sedis in variis nationibus vices gerunt, ex om-
ni quae sub caelo est natione seligantur, quod votum Sacrosancti Concilii
Patres quae par est reverentia Christi Vicario offerunt ut ab eo executio-
ni mandetur enixius deprecantes". Unus sane e praecipuis problematibus quod
non tantum orientalibus sed etiam Latinae ecclesiae afficit est nimia praes-
ponderantia virorum alicuius nationis in Romana Curia. Qui viri, quamvis
multis rationibus laude digni ac abnegatione praeclari, nequeunt, etsi con-
trarium cupiant, res omnes ad diversas nationes mentalitatesque pertinen-
tes componere. Quod criterium certe hodie progreditur, quin tamen dici
quaest sufficienter hucusque ad praxim deductum esse. Fancis verbis desi-
deratur adhuc realis "internationalisatio" nec non "descentralisatio" ro-
manae Curiae.-
- 17) p. 267, l. 19: Addendum: "Cupiens autem Sacrosanctum Concilium pignus cari-
tatis venerabilibus Ecclesiis Orientalibus tribuere, libenter agnoscit ear-
um dignitas ac postulat a Romano Pontifice ut post eum primum locum obti-
neat Constantinopolitanus Patriarcha, secundum Alexandrinus, tertium Antio-
chenus ac quartus Ierosolymitanus, etiam ante Patres Cardinales. Rogat in-
super Summum Pontificem et Occidentis Patriarcham ut benigne iisdem orien-

talium Capitibus ius concedat votum ferendi in ipsius electione, etsi
ad Sacrum Collegium non pertineant.-

Radulfus, Card. SILVA HENRIQUEZ,
Archiepps. Sancti Iacobi in Chilia.-

+ Ecclesias Orientales

